This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

Antonii Westermanni

de litis instrumentis, quae exstant in Demosthenis oratione in Midiam, commentatio.

> *Auctoritatem quidem nullam debemus nec fidem commenticiis rebus adiungere.*
> Cicero.

Quae apud oratores Atticos, Demosthenem maxime, leguntur caussarum instrumenta, leges, plebiscita, testimonia, alia*), non ab ipsis oratoribus profecta

---

*) Sunt autem haec:

I. Leges. *LL. de legibus et plebiscitis* Andoc. or. I. §. 85. 87. Demosth. XXIII, 86. 87. XXIV, 59; *L. de latis in litibus privatis ante Euclidem sententiis* And. I, 87; *L. de perduellione* And. I, 96; *Legum Solonis particulae* Lys. X, 16; *LL. de successione hereditaria* Isae. XI, 11. Dem. XLIII, 51; *L. de gymnasiis* Aesch. I, 12; *LL. de iniuriis* Aesch. I, 16. Dem. XXI, 47; *L. de eis qui sponte corpus prostituerent* Aesch. I, 21; *L. de oratoribus* Aesch. I, 35; *LL. Dionysiacae* Dem. XVIII, 120. XXI, 8. 10; *L. de arbitris* Dem. XXI, 94; *LL. de largitionibus* Dem. XXI, 113. XLVI, 26; *LL. de homicidiis* Dem. XXIII, 22. 28. 37. 44. 51. 53. 60. 62. 82. XLIII, 57; *L. de legum censura* Dem. XXIV, 20; *L. de novis legibus rogandis* Dem. XXIV, 33; *L. de debitoribus fiscalibus* Dem. XXIV, 39. 71; *L. de tempore inde a quo ratas esse debeant leges* Dem. XXIV, 42; *L. de ignominiosis in pristinam dignitatem restituendis* Dem. XXIV, 45; *L. de deprecantibus poenam* Dem. XXIV, 50; *L. de actis non rescindendis* Dem. XXIV, 54; *L. de iudiciis sub populi imperio factis ratis habendis* Dem. XXIV, 56; *L. de abrogandis eis quae sub XXX viris acta et iudicata sunt* Dem. XXIV, 56; *L. de reis ex eisangelia in iudicium adducendis* Dem. XXIV, 63; *LL. de furto, mala tractatione parentum, deserta militia* Dem. XXIV, 105; *L. de frumento in Atticum emporium importando* Dem. XXXV, 51; *LL. de litibus hereditariis* Dem. XLIII, 16. XLVI, 24; *L. de epicleris collocandis* Dem. XLIII, 54; *L. de funere faciendo* Dem. XLIII, 62; *L. de oleis non caedendis* Dem. XLIII, 71; *L. de orborum, viduarum, epiclerorum tutela archonti com-*

Digitized by Google

esse nostro tempore non facile est qui neget: hoc solum in controversiam vocari potest, eorum, qui ista addiderunt, quae fides sit atque auctoritas. Ac sane maxime omnium historiae interest haec ut dirimatur quaestio, neque hac aptior ulla norma est, ad quam res tota dirigatur; ut mirum non sit, plurimum hucusque operae impensum esse in exploranda decreta populi, quae exstant in Demosthenis oratione de corona *). Reliqua iacent tantum non omnia; alii enim, in quibus ii, quorum prae ceteris velles tentare iudicium, rem ne verbo quidem tetigerunt, alii solos cancellos praetereaque nihil addiderunt, plurimi, quasi integrum esset, his locis ad probanda omnia tacito usi sunt, pauci de singulis quid sentirent data occasione aperuerunt, omnes qui coniunctim excuteret exstitit nemo. At haec quoque,

---

missa Dem. XLIII, 75; *L. de testimoniis* Dem. XLVI, 8. 10; *LL. de testamentis* Dem. XLVI, 14. 24; *L. de sponsalibus* Dem. XLVI, 18; *L. de epiclerorum filiis* Dem. XLVI, 20; *L. de nuptiis non legitimis* Dem. LIX, 16. 52; *L. de adulterio* Dem. LIX, 87.

II. Plebiscita. Andoc. I, 77. 83. Dem. XVIII, 29. 37. 73. 75. 84. 90. 92. 105. 115. 116. 118. 154. 155. 164. 165. 181. XXIV, 27. LIX, 104.

III. Testimonia. Aesch. I, 50. 66. 68. Dem. XVIII, 135. 137. XXI, 22. 82. 93. 107. 121. 168. XXXV, 14. 20. 23. 33. XLIII, 31. 35, 42. 70. XLV, 8. 19. 24. 25. 55. 60. 61. XLVI, 21. LIX, 23. 25. 28. 32. 34. 40. 47. 48. 54. 61. 71. 84. 123.

IV. Alia. ὀνόματα Andoc. I, 13. 15. 35. 47; *Testis interrogatio* And. I, 14; *Iurairanda* Lycurg. 81. Dem. XXIV, 149. LIX, 78; *Oracula* Aesch. III, 112. Dem. XXI, 52. XLIII, 66; *Tituli honorarii* Aesch. III, 190. Dem. XVIII, 289; *Epistolae* Dem. XVIII, 39. 77. 157. 166. 167; κατάλογοι Dem. XVIII, 106; χρόνοι Dem. XVIII, 155; *Versus* Dem. XIX, 247. 255; *Pacta* Dem. XXXV, 10. LVI, 36. 38. LIX, 47. 71; *Libelli* Dem. XVIII, 54. XXXVII, 22; *Testamentum* Dem. XLV, 28; *Locatio* Dem. XLV, 31; ἀντιγραφή Dem. XLV, 46; προκλήσεις Dem. XLV, 61. LIX, 124.

*) Post A. Boeckhium maxime (*Comm. acad. Berol.* a. 1827) in diversas partes disputarunt L. Spengelius in Mus. Rhen. II. 1828. p. 367—404, Fr. Winiewskius *comment. hist. et chronol. in Dem. or. d. cor.* (1829) p. 291—361, C. A. F. Bruecknerus *König Philipp und die hellenischen Staaten* (1837) p. 364—421, Io. G. Droysenius *über die Aechtheit der Urkunden in Dem. Rede vom Kranz*, in Diar. stud. antiqu. 1839. No. 68—75. 88—90. 100—103. 114—120, I. Th. Voemelius *die Aechtheit der Urkunden in des Dem. Rede vom Kranze*, comm. I—IV. Francof. 1841—1844 (adde Nov. Mus. Rhen. I. 1842. p. 535—574.), C. G. Boehneckius *Forschungen auf dem Gebiete der Attischen Redner und der Geschichte ihrer Zeit* I. P. 2 (1843), F. W. Newmannus *Remarks on the Documents in the de corona of Demosthenes*, in the Classical Museum vol. I. (1844) p. 141—169.

Digitized by Google

leges dico, testimonia, reliqua, examinanda sunt quam fieri potest diligentissime. Etenim haec si aut vera aut ficta esse demonstraveris, hinc sponte intelligitur etiam ad decreta ista, quae leguntur in oratione de corona, aut probanda aut confutanda haud parum accessurum esse aut firmamenti aut suspicionis. Maxime vero admirari soleo, qui factum sit, ut ne iis quidem, qui ius Atticum tam publicum quam privatum data opera illustrandum sibi sumpserunt, in mentem veniret, istorum litis instrumentorum quae origo esset, quae ratio atque fides accuratius inquirere, praesertim quum haud pauca sint in iure Attico, eaque admodum controversa ceteroquin et plena dissensionis inter doctissimos, quae solis istis formulis nitantur: quo subducto fundamento fieri non potest quin quod superstructum est totum corruat. Ad quam controversiam componendam quo aliquid conferam, iam quantum potero explorabo, quid statuendum esse videatur de probationis documentis, quae insunt in oratione Demosthenis in Midiam. Dicam autem quod res est, quo statim appareat quorsum tendat disputatio mea: scilicet hoc agitur, ut ista, si non omnia, at magnam certe partem ficta, reliqua aliis de caussis suspecta videri demonstretur. Sed quoniam duo maxime hac in oratione sunt genera probationum, bipartita erit disputatio. Sic igitur instituam, ut primum de testimoniis, deinde de legibus disputem.

I. *Testimonia.*

Exordiendum nobis est a testimoniis, quae quin ad unum omnia ficta sint dubitari prorsus nequit. Nam primum Athenis fuisse tabularium, in quo iudiciorum acta conderentur integra, non unus est qui probet locus apud veteres scriptores. Atqui tabularium si non erat, sequitur ut ista qui multo post adiecerunt non habuerint unde depromerent. Sed ut fuerit, quis est qui credat, eo adhuc tempore, quo ista litis instrumentorum accessio facta est, tabularium Athenis intactum atque integrum superfuisse, pulverulentosque eius et absconditos angulos a grammaticis sive rhetoribus eorumque discipulis data opera investigatos, perreptatos, excussos esse? At his argutiis in nostra re prorsus nihil opus est, quoniam Midiana caussa inchoata quidem est et a Demosthene ad magistratum delata, sed nunquam revera

Digitized by Google

in iudicium adducta, perorata, iudicata, ut nihil esset quod in tabularium, si quod erat, referri recondique posset. Ex quo apparet, testimonia illa omnia ab hominibus male sedulis, nescio exercitationis an fuci faciendi caussa, quantumvis accommodate ad verba oratoris inventa et conficta esse. Nec desunt quibus hoc probari potest et in rebus veritatis declinationes et in verbis sequioris graecitatis vestigia.

1) §. 22. Testimonium aurificis, quo testatus est, Midiam delere conatum esse sacram vestem reliquumque apparatum Demostheni in pompam Dionysiacam procuratum.

Παμμένης Παμμένους ἔπερχος ἔχων χρυσοχοεῖον ἐν τῇ ἀγορᾷ, ἐν ᾧ καταγίγνομαι καὶ ἐργάζομαι τὴν χρυσοχοϊκὴν τέχνην. ἐκδόντος δέ μοι Δημοσθένους, ᾧ μαρτυρῶ, στέφανον χρυσοῦν ὥστε κατασκευάσαι καὶ ἱμάτιον διάχρυσον ποιῆσαι, ὅπως πομπεύσαι ἐν αὐτοῖς τὴν τοῦ Διονύσου πομπήν, καὶ ἐμοῦ συντελέσαντος αὐτὰ καὶ ἔχοντος παρ' ἐμαυτῷ ἕτοιμα, εἰσπηδήσας πρός με νύκτωρ Μειδίας ὁ κρινόμενος ὑπὸ Δημοσθένους, ἔχων μεθ' ἑαυτοῦ καὶ ἄλλους, ἐπεχείρησε διαφθείρειν τὸν στέφανον καὶ τὸ ἱμάτιον, καὶ τινὰ μὲν αὐτῶν ἐλυμήνατο, οὐ μέντοι πάν ταγε ἐδυνήθη διὰ τὸ ἐπιφανέντα με κωλῦσαι.

Expressa haec sunt ex §. 16, quanquam non satis accurate; nam non unam fuisse coronam, sed plures ad ornandum chorum ex ipsis oratoris verbis intelligitur. Nomen testis atque reliqua de suo auctor addidit. In his probandum Voemelii *ὑπάρχω*, quocum recte demum, quod libri omnes praebent, *ἔχων* concinit, ab H. Wolfio in *ἔχω* mutatum, in *ἔχω μὲν* a Spaldingio. Certe nihili est *ἔπερχος* librorum *ΣΠΓ* ac ceterorum *ἔπαρχος*, neque quod Reiskius atque Buttmannus voluerunt *Πεgγασεὺς* sive *Ἐρχιεὺς* satis certa ratione nititur; poterat enim auctor Pammenem velle esse inquilinum.

Post testimonium deesse quaedam primus Buttmannus intellexit. Nam cum pergit orator §. 23, *πολλὰ μὲν τοίνυν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καὶ περὶ ὧν τοὺς ἄλλους ἠδίκηκεν ἔχω λέγειν, ὥσπερ εἶπον ἐν ἀρχῇ τοῦ λόγου*, credat aliquis hoc spectare ad id quod dixerat §. 7, *ἐὰν ἐπιδείξω Μειδίαν τουτονὶ μὴ μόνον εἰς ἐμέ, ἀλλὰ καὶ εἰς ὑμᾶς καὶ εἰς τοὺς νόμους καὶ εἰς τοὺς ἄλλους ἅπαντας ὑβρικότα.* At nimis haec sunt indefinite dicta et velut in transcursu interiecta, quam ut huc respicere orator possit ac verba ista auditorum memoriae satis infixa credere. Quam-

Digitized by Google

obrem alium locum in mente habeat necesse est, quo copiae iniuriarum a Midia aliis illatarum clarius atque disertius mentionem fecerit; neque is alte repetendus est. Leguntur enim §. 19. haec: *ἔχω δὲ λέγειν καὶ πονηρίας ἑτέρας αὐτοῦ παμπληθεῖς καὶ ὕβρεις εἰς πολλοὺς ὑμῶν καὶ τολμήματα τοῦ μιαροῦ τούτου πολλὰ καὶ δεινά.* Sed, inquiet aliquis, huc si orator respicit, quo tandem iure ista modo dicta iam nunc (§. 23.), duabus tantum paragraphis interiectis, iactare potest tanquam dicta in orationis principio? At hoc ipsum fidem facit, deesse quaedam, quae statim post recitatum testimonium aurificis locum habuerint: quod si ponimus, sponte apparet, quae §. 19. leguntur reiici aliquantum atque reprimi versus principium orationis. Sed sunt praeterea quae aliquid hic deesse prorsus cogant credere. Enarratis enim a Midia acceptis iniuriis iam §. 21. Demosthenes ad probandum transit his verbis: *ἐξελέγξω δὲ πρῶτον μὲν ὅσα αὐτὸς ὑβρίσθην.* Huiccine vero promisso satisfactum credamus isto aurificis testimonio? Minime, neque eo solo contenti fuissent iudices. At vide quibus verbis orator hoc ipsum recitari iubeat: *λέγε μοι τὴν τοῦ χρυσοχόου πρώτην λαβὼν μαρτυρίαν.* Itaque hoc primum erat, sequebatur reliquorum quantumvis longa series testimoniorum ad probanda ea, quorum summa legitur §. 17. Hactenus recte omnia exposuit Buttmannus. Sed non persuasit nobis, quod credidit haec omnia revera olim perscripta fuisse et lecta a librariis, sed describendi laboris taedio omissa. Moverunt virum optimum maxime quae leguntur in altero orationis argumento p. 511: *ὁ Δημοσθένης λέγει, ὅτι ὀμνυόντων τῶν κριτῶν τῷ καλῶς ᾄσαντι δοῦναι τὴν νίκην, νύττων αὐτοὺς ὁ Μειδίας ἔλεγε „πλὴν Δημοσθένους,“ ὅθεν ὁ Δημοσθένης ἐβόα ἐλέγχων αὐτόν*, et paullo post, *διαβάλλει τὸν Μειδίαν ὡς κλέψαντα τῶν χρυσῶν στεφάνων ὁντινοῦν παρὰ τοῦ χρυσοχόου.* Iam ut ab altero exordiar, coronam rapuisse Midiam Buttmannus ait nusquam dici, sed nihil in nostra oratione legi nisi Midiam coronas illas *διαφθεῖραι* sive *λυμήνασθαι*. Ego vero quominus ad emendandum, ut volebam primum (suspicabar enim in or. arg. l. l. *βλάψαντα* pro *κλέψαντα* corrigendum esse), confugiam impedit locus, qui Buttmannum fugit, §. 147, nunc partim ex libro Σ, partim ex antiqua quam laudat Scholiasta recensione a Turicensibus atque Voemelio iure sic restitutus: *τὸ δ᾽ ὅλως ἀφανίζειν ἱερὰ* (edebatur antea *ἱερὰν ἐσθῆτα*) *ἔσθ᾽ ὅ τι τοῦ περικόπτειν* (*κόπτειν* ex Σ Turicenses) *τοὺς Ἑρμᾶς διαφέρει;*

Quod etsi non prorsus ad veritatem accommodate dictum, sed oratorie exaggeratum est, aperte tamen furti ansam praebuit grammatico. Magis aliquanto offendit alterum, quod Buttmannus recte quidem dicit referre Taylerum ad ea quae leguntur §. 65 (*οὔτε καλουμένων τῶν κριτῶν παρεστηκότα, οὐδ' ὅταν ὀμνύωσιν ἐξορκοῦντα*), sed ex his solis negat sumere potuisse grammaticum ita ut diceret, *ὡς ὁ Δημοσθένης λέγει*, immo manifestum fere esse ex ipsa orationis forma, oratorem h. l. ad superius sibi dicta quaedam se referre ita ut per acumen utatur verbo *ἐξορκοῦν*. Haec acute quidem excogitata sunt, vera esse non credo. Etenim si quae post §. 22. exciderunt, maximam ea partem testimonia fuerunt, interiectis paucis, ut fieri solebat, ipsius oratoris verbis ad advertendos auditores scribamque de eo, quod recitandum esset, certiorem faciendum. Quamobrem quod testium erat, non ipse, id quod voluit grammaticus, Demosthenes facile narraverit. Tota autem fabula ista eiusmodi est, quam et ad *ἐξορκοῦντα* illud et ad verba §. 17, *βοῶν ἀπειλῶν ὀμνύουσι παρεστηκὼς τοῖς κριταῖς* (ex quibus argumenti verba *ἔβόα ἐλέγχων αὐτὸν* supplenda esse vidit Meierus ed. Mid. p. 4.), explicanda in scholis rhetorum procusam esse coniicias, quamque argumenti auctorem rei immemorem ad ipsum Demosthenem male rettulisse suspicere. Certe tam sublestae fidei hominis testimonium non tanti videtur, ex quo solo colligas, istis temporibus Midianam quam nunc est integriorem esse habitam. Nam v. *ἐκλώζετε* ab Harpocratione ex Midiana laudatum, quod huc revocarunt Turicenses, rectius fortasse ab aliis refertur ad §. 226. Demosthenes ipse quae inter singula testimonia interiecturus erat verba aut ut ex tempore facienda omisisse putandus est, aut nondum omnibus, quorum indigebat, probationis instrumentis comparatis ut alio tempore si diis placeret adiicienda (cf. Boeckhius in Comm. acad. Berol. 1818—19. p. 76); testimoniorum fabricator autem aut non satis ad illud *τὴν πρώτην* attendebat, aut satis habebat exempli caussa unum attulisse, aut deficiebant vires, otium, materies.

2) §. 82. Testimonium de actione indicati a Midia per octo annos dilata ac deserta.

Καλλισθένης Σφήττιος, Διόγνητος Θορίκιος, Μνησίθεος Ἀλωπεκῆθεν οἴδαμεν Δημοσθένη, ᾧ μαρτυροῦμεν, κρίσιν λελογχότα Μειδίᾳ ἐξούλης, τῷ καὶ νῦν ὑπ' αὐτοῦ κρινομένῳ δημοσίᾳ, καὶ ἤδη τῇ κρίσει ἐκείνῃ διαγεγονότα ἔτη ὀκτώ,

Digitized by Google

καὶ τοῦ χρόνου γεγενημένον παντὸς αἴτιον Μειδίαν ἀεὶ προφασιζόμενον καὶ ἀναβαλλόμενον.

Qui factum sit, ut spreta uberrima quam praebent §. 78 sqq. testificandi materie hoc uno testimonio grammaticus rem transactam crederet, difficile dictu est. Certe Demosthenes longe plura pollicetur, nec testes producere operae pretium fuisset, si praeterea quod probaret nihil habuisset. In ipsis verbis testimonii offendit quod legitur *χρίσιν λελογχότα Μειδίᾳ ἐξούλης*. Hoc enim non est Atticorum. Sed gravius est, quod dicitur de iudicii per octo annos dilatione. Usus est hoc loco Boeckhius *über die Zeitverhältnisse der demosthenischen Rede gegen Meidias* p. 81 ad demonstrandum, scriptam esse nostram orationem ol. CVI, 4. Scilicet ol. CIV, 1, iam proxime instante die, quo lis Aphobo illata coram iudicio oranda erat, Midias cum fratre Thrasylocho, oblata Demostheni trierarchiae suscipiendae caussa bonorum permutatione, huius in aedes invaserant, fores effregerant, Demosthenem eiusque matrem et sororem probris omnibus maledictisque vexaverant. Itaque finita tutoria lite protenus Demosthenes Midiae ob maledicta actionem intendit: privato arbitro res committitur, damnatur Midias, *M* drachmis mulctatur: non solvit, nova petitur actione iudicati. Et haec quidem, si scripta est Midiana oratio ol. CVI, 4, et vera testantur testes, incidit in ol. CIV, 4, tribus fere inter ipsam et tutoriam litem annis interiectis, id quod, praesertim aliis interea controversiis ex tutoria lite exortis, praetereaque tergiversante Midia, ipsoque prae timiditate rem non praecipitante Demosthene, per se est admodum credibile: septem vero intercessisse (tot enim confiunt, si Midianam ol. CVII, 4. demum scriptam ponimus cum Dionysio) prorsus incredibile est. Sic fere Boeckhius. Contra quem qui disputat Boehneckius *Forschungen* I, 1. p. 79 sq. hoc certe loco non multum effecisse putandus est, quamvis recte omnino Midianam ante ol. CVII, 4. scriptam esse non posse demonstraverit. Sed ne sic quidem est quod cogat, ut de septem annorum intervallo cogitemus. Totum enim illud, quod auctor testimonii de actione iudicati habet per octo annos procrastinata, ab ipso fictum atque ementitum est, ut argumentatio, quae hoc fundamento nititur, omnis concidat. De octo illis annis ne verbum quidem apud Demosthenem: istos aliunde nosse grammaticum credat qui velit, ego non credo. Indigebat numeri, itaque ponebat, de rei veritate

parum sollicitus, qui primus in mentem veniebat, octonarium. Verum numerum si postulas, ego me nescire fateor: poterat esse duodenarius vel is qui sequitur; nam ex quo maledicta Midias in Demosthenem contulit, nunc iam annus agebatur quintus decimus. Quod autem orator dicit §. 81, *λαχὼν ἐξούλης πάλιν οὐδέπω καὶ τήμερον εἰσελθεῖν δεδύνημαι*, nisi fallor non sic intelligendum est, quasi per totos duodecim vel tredecim annos continuos cum Midia litigarit, sed sic, ut caussam, quum nihil effecisset primo impetu, non condonarit quidem Midiae, sed integram reliquerit atque conatu destiterit.

3) §. 93. Testimonium de Midiae contumacia et adversus Stratonem perfidia.

Νικόστρατος Μυρρινούσιος, Φανίας Ἀφιδναῖος οἴδαμεν Δημοσθένην, ᾧ μαρτυροῦμεν, καὶ Μειδίαν τὸν κρινόμενον ὑπὸ Δημοσθένους, ὅτ' αὐτῷ Δημοσθένης ἔλαχε τὴν τοῦ κακηγορίου δίκην, ἑλομένους διαιτητὴν Στράτωνα, καὶ ἐπεὶ ἧκεν ἡ κυρία τοῦ νόμου, οὐκ ἀπαντήσαντα Μειδίαν ἐπὶ τὴν δίαιταν, ἀλλὰ καταλιπόντα. γενομένης δὲ ἐρήμου κατὰ Μειδίου, ἐπιστάμεθα Μειδίαν πείθοντα τόν τε Στράτωνα τὸν διαιτητὴν καὶ ἡμᾶς, ὄντας ἐκείνοις τοῖς χρόνοις ἄρχοντας, ὅπως τὴν δίαιταν αὐτῷ ἀποδιαιτήσομεν, καὶ διδόντα δραχμὰς πεντήκοντα, καὶ ἐπειδὴ οὐχ ὑπεμείναμεν, προσαπειλήσαντα ἡμῖν καὶ οὕτως ἀπαλλαγέντα. καὶ διὰ ταύτην τὴν αἰτίαν ἐπιστάμεθα Στράτωνα ὑπὸ Μειδίου καταβραβευθέντα καὶ παρὰ πάντα τὰ δίκαια ἀτιμωθέντα.

Fons est testimonii §. 85. Scholam exercitationemque, non vitam antiquitatemque redolent haec, *τὴν τοῦ κακηγορίου δίκην* (constanter enim Attici *κακηγορίας δ.*), *ἡ κυρία τοῦ νόμου* (certe *ἡ κυρία ἐκ τοῦ ν.*), *γενομένης δ' ἐρήμου κατὰ Μειδίου* (immo *ὀφλόντος δ' ἔρημον Μειδίου*), *καταβραβευθέντα*, quod verbum primum legitur in scriptis Novi Testamenti: Atticorum est *καταδικασθέντα*. Quanquam Reiskii explicationem, *nequam artibus circumventum evertisse*, non debebat reprehendere Hudtwalckerus *über die öffentl. u. Privat-Schiedsrichter in Athen* p. 62; nam hoc maxime auctorem voluisse quum docet usus verbi in Epist. ad Col. II. 18, tum ex eis quae sequuntur, *καὶ παρὰ πάντα τὰ δίκαια ἀτιμωθέντα*, sponte intelligitur. Praeterea nec ab omni suspicione liberum est quod archontes sunt qui testes adhibentur. Quorum sane gravissimum debebat esse testimonium; sed hoc ipso plus videtur dare grammaticus quam orator pollicetur, quum dicit §. 83,

Digitized by Google

ὡς ἐγὼ τῶν παραγενομένων τινὸς ἐπυνθανόμην. Contrà desunt testes eorum quae narrantur §. 86 et 87.

4) §. 107. Testimonium in caussa Aristarchi primum.

Διονύσιος Ἀφιδναῖος, Ἀντίφιλος Παιανιεὺς διαφθαρέντος Νικοδήμου τοῦ οἰκείου ἡμῶν βιαίῳ θανάτῳ ὑπὸ Ἀριστάρχου τοῦ Μόσχου ἐπεξῆμεν τοῦ φόνου τὸν Ἀρίσταρχον. αἰσθόμενος δὲ ταῦτα Μειδίας ὁ νῦν κρινόμενος ὑπὸ Δημοσθένους, ᾧ μαρτυροῦμεν, ἔπειθεν ἡμᾶς διδοὺς κέρματα τὸν μὲν Ἀρίσταρχον ἀθῷον ἀφεῖναι, Δημοσθένει δὲ τὴν γραφὴν τοῦ φόνου παραγράψασθαι.

Ridiculum illud *κέρματα* in *χρήματα* mutari voluit Iurinus, quo ipse orator utitur in eadem re §. 104; sed difficiliorem vocem non esse faciliore mutandam iam Spaldingius intellexit: quanquam in v. *κέρματα* quam dicit idem inesse indignationem corruptionem reiicientium fateor non assequor. Itaque sibi habeat scitus homo nummulos suos. Sub finem quod est *παραγράψασθαι* quid esset nemo dum explicavit. Interpretantur *intendere iudicium*. Verum hoc nunquam est *παραγράψασθαι*, quo verbo aliud nihil significatur in iure Attico quam exceptio ab reo contra actorem facienda. Quomodo igitur excipere potuerunt ipsi actores? An hoc voluit grammaticus, actores transferenda ab Aristarcho in Demosthenem actione quasi adversus sese ipsos excipere iussos esse? Sed vix hoc ferri potest, ut suspicer auctorem in mente habuisse *μεταγράψασθαι*.

5) §. 121. Testimonium in caussa Aristarchi alterum.

Λυσίμαχος Ἀλωπεκῆθεν, Δημέας Σουνιεύς, Χάρης Θορίκιος, Φιλήμων Σφήττιος, Μόσχος Παιανιεύς, καθ' οὓς καιροὺς ἡ εἰσαγγελία ἐδόθη εἰς τὴν βουλὴν ὑπὲρ Ἀριστάρχου τοῦ Μόσχου, ὅτι εἴη Νικόδημον ἀπεκτονώς, οἴδαμεν Μειδίαν τὸν κρινόμενον ὑπὸ Δημοσθένους, ᾧ μαρτυροῦμεν, ἐλθόντα πρὸς τὴν βουλὴν καὶ λέγοντα μηδένα ἕτερον εἶναι τὸν Νικοδήμου φονέα ἀλλ' Ἀρίσταρχον, καὶ τοῦτον αὐτὸν γεγονέναι αὐτόχειρα, καὶ συμβουλεύοντα τῇ βουλῇ βαδίζειν ἐπὶ τὴν οἰκίαν τὴν Ἀριστάρχου καὶ συλλαμβάνειν αὐτόν. ταῦτα δ' ἔλεγε πρὸς τὴν βουλὴν τῇ προτεραίᾳ μετ' Ἀριστάρχου καὶ μεθ' ἡμῶν συνδεδειπνηκώς. οἴδαμεν δὲ καὶ Μειδίαν, ὡς ἀπῆλθεν ἀπὸ τῆς βουλῆς τούτους τοὺς λόγους εἰρηκώς, εἰσεληλυθότα πάλιν ὡς Ἀρίσταρχον καὶ τὴν δεξιὰν ἐμβεβληκότα καὶ ὀμνύοντα κατ'

Digitized by Google

ἐξωλείας μηδὲν κατ' αὐτοῦ πρὸς τὴν βουλὴν εἰρηκέναι φαῦλον, καὶ ἀξιοῦντα Ἀρίσταρχον ὅπως ἂν διαλλάξῃ αὐτῷ Δημοσθένην.

Totum fere compositum est ex §. 116 sqq. *Χάρης* Reiskius correxit et sic est in libris *Πkr*, ut videtur: quod reposuit cum Buttmanno Voemelius *Χιάρης* vix sanum est. *ἡ* post *ἐδόθη* vitiose repetitum cum Schaefero delevi atque Turicensibus. *ὑπὲρ* etsi non vitiosum, nescio tamen an *κατὰ* in tali re Atticis usitatius. *τοῦτον αὐτὸν γεγονέναι αὐτόχειρα* dedi cum Turicensibus, optimis et plurimis libris confirmatum, quo mitigatur aliquantum certe molesta repetitio, quae inest in librorum *ΠΥΩs* scriptura, *καὶ τοῦτον αὐτοῦ γεγονέναι αὐτόχειρα*. Deinde *ὡς* ante *ἐμβεβληκότα* delevi cum Reiskio. Sub finem *ἀξιοῦντα Ἀρίσταρχον ὅπως ἂν διαλλάξῃ* nisi fallor sequioris graecitatis est.

6) §. 168. Testimonium trierarchorum de Midiae ex Euboea reditu.

Κλέων Σουνιεύς, Ἀριστοκλῆς Παιανιεύς, Πάμφιλος, Νικήρατος Ἀχερδούσιος, Εὐκτήμων Σφήττιος, καθ' ὃν καιρὸν ἐκ Στύρων ἀπεπλέομεν δεῦρο τῷ στόλῳ παντί, ἐτύχομεν τριηραρχοῦντες καὶ αὐτοὶ καὶ Μειδίας ὁ νῦν κρινόμενος ὑπὸ Δημοσθένους, ᾧ μαρτυροῦμεν. παντὸς δὲ τοῦ στόλου πλεόντων ἐν τάξει, καὶ τῶν τριηράρχων ἐχόντων παράγγελμα μὴ χωρίζεσθαι ἕως ἂν δεῦρο καταπλεύσωμεν, Μειδίας ὑπολειφθεὶς τοῦ στόλου, καὶ γεμίσας τὴν ναῦν ξύλων καὶ χαράκων καὶ βοσκημάτων καὶ ἄλλων τινῶν, κατέπλευσεν εἰς Πειραιᾶ μόνος μεθ' ἡμέρας δύο, καὶ οὐ συγκατέστησε τὸν στόλον μετὰ τῶν ἄλλων τριηράρχων.

Hausta haec sunt maxime ex §. 167. Si quod omnino, hoc certe ementitum esse testimonium apparebit, dum acquiescamus in eis, quae omnium librorum auctoritate firmata sunt, nec malae rei ac per se suspectae corrigendo demum aliquam veri speciem comparare studeamus. Ac primos quidem duos trierarchos, obscuros homines et ut totum hoc genus pervulgati nominis, de suo donavit auctor, Cleonem Suniensem et Aristoclem Paeaniensem: quanquam poterat verum dare Hyperidem Collytensem (cf. Plut. vit. dec. orr. p. 849 F.): quartum et quintum, Niceratum atque Euctemonem, habet ex §. 165. Superest tertius Pamphilus et is quidem non addito pagi nomine. Hoc excidisse aut deinceps *Νικηράτου* scribendum esse censuit Reiskius, neutrum recte. Depromptum est enim hoc nomen ex §. 163.

Qui Pamphilus quum non esset civis, sed peregrinus, Aegyptius, apparet eum non e pago nominari potuisse. Iam vide levitatem impostoris trierarchum facientis peregrinum hominem, qui ne ante quidem fuit, quum a Midia militiam detrectante imponeretur, nedum ut nunc Midia ipso navem ducente in trierarchorum numero haberi possit. Nihil efficit Buttmannus, quum dicit, hoc non obstitisse quo minus testimonium Pamphilus cum ceteris trierarchis faceret. Nam ut nihil obstiterit, at non ut trierarchus testimonium facere potuit. Accedit aliud. Niceratus ille Niciae filius sine dubio familiae eiusdem fuit, cuius stemma exponit Boeckhius, *Urkunden über das Seewesen des attischen Staates*, p. 246, quaeque plurimum gloriae ac splendoris debebat Niciae, qui bello Siculo imperator fuerat. Huius igitur pronepos noster fuit Niceratus. Atqui ex eisdem inscriptionibus navalibus (XI. b, 3. XIV. c, 20. d, 113. XVI. a, 171.) apparet, non Acherdunti pago, sed Cydantidis hanc familiam adscriptam fuisse. Quis est igitur, cui fidem faciat quem hic habemus *Νικήρατος Ἀχερδούσιος*? Neque fecit Boeckhius. Sed is vim verbis facere quam instrumenti tam suspecti fidem prodere maluit. Igitur deleri iussit voc. *Νικήρατος* quippe ab alia manu ex §. 165. illatum, ut fieret *Πάμφιλος Ἀχερδούσιος*: in quam sententiam Boehneckius l. l. p. 669 et eatenus certe Voemelius quoque concessit, ut vocabulo *Νικήρατος* cancellos adderet. Nec nego, huic correctioni aliquam veritatis speciem accedere ex eo, quod Pamphilus Acherdusius quidam laudatur ab Aesch. or. I. §. 110. At haec species quum vi verbis adhibita demum effecta sit, satius videtur in ea quam supra ingressus sum via persistere, ac tutius levitatis accusare auctorem testimonii quam erroris et incuriae librarios ad unum omnes. Hinc valde etiam ut Sphettius suspectus Euctemon, quem Aesionis filium orator appellat §. 165. Scambonides ut trierarchus ol. CXIV. laudatur in inscr. naval. XVII. a, 121. b, 12, alius Lamptrensis sive Lacciades (pagi enim nihil superest nisi *Λα* litterae) ibid. b, 53. Sed malim nostrum esse Euctemonem eum quem ut divitem item nominat Demosth. or. XXIV. §. 7. (cf. §. 8. et 11 sqq.), quemque iam aetate profectiorem tunc fuisse oportet, si verum est quod auguror, eundem fuisse patrem Aesionis, Demosthenis ipsius condiscipuli (Suid. s. v. *Δημοσθένης*, cf. Plut. Dem. 11. Arist. Rhet. III. 10, 7.). Ceterum in verbis testimonii non admodum offendit illud *παντὸς δὲ τοῦ στόλου πλεύντων*, sed singulare est sub

finem quod legitur *συγκατέστησα*. Ultimum denique testimonium §. 174. non ausus est grammaticus reficere.

II. *Leges.*

Legum alia sane ratio est. Scilicet testimonia quippe in unius diei atque hominis usum scripta, postquam recitata erant, abiiciebantur, sive, si hoc magis placet, in tabularii tenebris abscondebantur: leges vero toti civitati et ab ipso populo scriptae, publice expositae, omnibus cognitae erant. Quanquam nolim hoc in nostra re urgeri nimium vehementer. Nam eo tempore, quo ista omnia in Demosthenem illata sunt (id quod primo fere p. Chr. n. saeculo factum esse coniicit Droysenius, quin iam ante Ciceronis et Dionysii Halicarnassensis tempora factum sit non dubitat Boehneckius), aetas Demosthenica iam coepta est pro antiquitate haberi, civitas Atheniensium in aliam formam redigi, leges quae olim fuerant modo negligi atque abrogari modo immutari atque novae fieri: ut appareat, quae istius temporis propria fuissent leges institutaque non tam ex ipsa vita foroque quam ex scriptis cognosci potuisse. Quorum scriptorum tria erant genera, acta publica, scripta antiquitatem illustrantia, orationes. Ac primum quidem patet omnium gravissimum fuisse, lapides dico legibus inscriptos (cf. Franzii *Elem. epigr. gr.* p. 313.) eorumque, ut videtur, apographa in publico tabulario condita (Harpocr. s. v. *μητρῷον*). Hinc, certe ex lapidibus (nam de tabulario quid post Apellicontis rapinas, quas enarrat Athen. V. p. 214 E, statuendum sit obscurum est) leges a doctis diascenastis, ut ait C. F. Hermannus *diss. de proedris* p. 4, peti potuisse sine dubio concedendum est. Sed ut fatear quod sentio, hoc nimium sane sedulitatis atque diligentiae, istis praesertim temporibus ac moribus, quum neque priora saecula eaque multo in eiusmodi rebus diligentiora multos Stelocopas vidissent. Quin tantum laborem si quis, doctus sane, rhetor exanclasset, neque is in media via sive potius in ipso operis introitu substitisset, neque fieri potuisset quin omnino tota res eidem cederet felicius. Proxime ab hoc alterum genus abest, quod continetur scriptis historicorum, philosophorum, antiquariorum. Horum qui leges institutaque populorum Graeciae illustraverunt indicatos vid.

apud Wachsmuthium *Hellenische Alterthumskunde* ed. 2. I. p. 796 sqq. In quo genere posteriores quidem rhetores prorsus erant rudes; sed antiquiores, quorum exempli caussa satis habeo unum nominare Didymum, illud minime neglexisse certum est: quod quantum fecerit ad cognoscendas leges Atticas, ut mittam alia, ex eis maxime aestimari potest quae leguntur in Harpocrationis lexico excerpta ex libris Aristotelis, Demetrii Phalerei, Theophrasti, Philochori. Verum hos ipsos scriptores et si qui alii in auxilium vocati sunt, quantumvis lubrica licet esse videatur in tanta fragmentorum paucitate coniectatio, non adducar tamen ut credam id egisse, ut omne ius tam publicum quam civile complecterentur, quicquid quoque tempore legum latum esset studiose colligerent, ipsaque verba quibus quaeque lex perscripta esset accurate dataque opera in commentarios referrent. Quamobrem etsi non est cur prorsus negemus, singulas leges ipsis verbis apud eosdem vel alios scriptores, quorum ea describere interesse potuerit, servari atque hinc a rhetoribus doctis depromi potuisse, haud scio tamen an scriptores illi uberiorem refingendis legibus materiem quam ipsa legum verba simpliciter describendi copiam praebuerint. Accedit tertium genus scripta oratorum continens. Haec certe ab omnium aetatum rhetoribus atque grammaticis diligenter lecta, disputata, tractata esse res est notissima docentque abunde satis quae etiamnum exstant volumina rhetorica. Hoc ut nobis, ita illis quoque iuris principium quasi atque fons, isque eo purior, quo sinceriorem, quippe ex ipso medio foro enatus, vitae publicae imaginem repraesentabat. At id ipsum est quod querimur, oratores legum formulas propria manu non adscripsisse. Nam quanticunque faciamus legum particulas, quas hic illic suis verbis intexuerunt, in hac vel illa lege quid διαῤῥήδην scriptum esset monentes sive ex legibus a scriba recitatis hoc vel illud repetentes, apparet fieri quidem potuisse ut, si quis particulis istis recte uti sciret et cum eis, quae de quaque lege ceteroqui tradita essent, prudenter et ad legum formulas omnino accommodate componeret, is magnam veri speciem assequeretur, at leges ipsas sic, ut vera earum verba atque integra nos habere confidamus, restitui prorsus non potuisse. Quae quum ita sint, inclinat animus, ut leges illas, si non omnes, at magnam certe partem non genuinas esse arbitrer: non que prorsus falsas atque ementitas eas ausim dicere, sed sic existimo, veri aliquid subesse plurimis eatenus quoad auctor, si quas repperisset

Digitized by Google

legum reliquias ac maxime verba hinc ab oratoribus servata, praetereaque quae alii scriptores de eisdem rebus memoriae tradidissent, in usum suum converterit, alia vero, ubi deficeret materies, eundem de suo adiecisse verbaque ac formulas legum ipsum commentum esse. Movet suspicionem quod sero demum ista omnia adiecta sunt, auget quod pars eorum, testimonia dico, sine omni dubio ementita sunt atque ficticia, conficit quod in his ipsis legibus nonnulla insunt, quae vera esse prorsus nequeunt et in quibus explicandis atque defendendis tantundem insumendum est argutiarum, quantum simplicitatis antiquitus in scribendis legibus adhibitum esse in confesso est. Quod quo appareat, dicam iam de singulis legibus, quae exstant in Midiana oratione.

1) §. 8. Lex Dionysiaca prima de probolis.

Τοὺς πρυτάνεις ποιεῖν ἐκκλησίαν ἐν Διονύσου τῇ ὑστεραίᾳ τῶν Πανδίων, ἐν δὲ ταύτῃ χρηματίζειν πρῶτον μὲν περὶ ἱερῶν, ἔπειτα τὰς προβολὰς παραδιδότωσαν τὰς γεγενημένας ἕνεκα τῆς πομπῆς ἢ τῶν ἀγώνων τῶν ἐν τοῖς Διονυσίοις, ὅσαι ἂν μὴ ἐκτετισμέναι ὦσιν.

Quae miro modo discrepant cum eis quae deinceps orator ipse addit §. 9, *ὁ μὲν νόμος οὗτός ἐστιν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, καθ᾽ ὃν αἱ προβολαὶ γίγνονται, λέγων, ὥσπερ ἠκούσατε, ποιεῖν τὴν ἐκκλησίαν ἐν Διονύσου μετὰ τὰ Πάνδια, ἐν δὲ ταύτῃ ἐπειδὰν χρηματίσωσιν οἱ πρόεδροι περὶ ὧν διῴκηκεν ὁ ἄρχων, χρηματίζειν καὶ περὶ ὧν ἄν τις ἠδικηκὼς ᾖ περὶ τὴν ἑορτὴν ἢ παρανενομηκώς.* Verum hac ipsa discrepantia suspicionem removeri censet C. F. Hermannus *diss. de proedris* p. 5 sq.: scilicet legem esse praesenti statu antiquiorem, oratorem autem suis verbis legis argumentum pro auditorum captu circumscribere, adeoque doctum et subtile esse verborum discrimen, ut a mala interpolatoris sedulitate vix ac ne vix quidem repeti possit. Quod ut concedamus, ut et quae de prytanibus atque proedris disputantur ab eodem recte et praeclare disputata esse concedimus, nondum tamen persuasum nobis est, hanc ipsam esse legem quam recitari iusserit Demosthenes. Nam quis credat, translato concionis regimine a prytanibus ad proedros, id quod ipsum non fieri nisi lege potuit, in reliquis legibus, ubi regendae concionis mentio fieret, pristinam illam et abrogatam formulam servatam esse, qua prytanes facere iuberentur quod iam esset proedrorum? Itaque etiamsi non aliunde cognita esset Athe-

BIBLIOTHECA BODLEIANA

Digitized by Google

niensium in legibus scribendis diligentia atque accuratio, res ipsa iam postularet legis formam legitimam: ut non dubitem quin hanc et reliquas eiusdem generis leges omnes Athenienses novas fecerint et ad praesentem statum accommodaverint. Nec obstat, opinor, locus or. LIX. §. 90, *τοὺς δὲ πρυτάνεις κελεύει τιθέναι τοὺς καδίσκους ὁ νόμος καὶ τὴν ψῆφον διδόναι προσιόντι τῷ δήμῳ.* Quem locum non dubito ea ratione explicare, quam G. F. Schoemannus *Antiq. iur. publ. Gr.* p. 221, 4 nostrae legi adhibuit: scilicet *τὴν ψῆφον διδόναι* ne pertinet quidem ad *τοὺς πρυτάνεις*, sed omisso subiecto (*τοὺς προέδρους*) positum est, quippe quod a quolibet facile subintelligi poterat*), id quod orator, quo loco legis argumentum breviter adumbrat, facile permittere sibi potuit, legislator vero in ipso legis contextu, ubi clara, plana, distincta omnia esse debent, non potuit. Quae si recte disputata sunt, sequitur ut hoc quoque admodum dubium fiat, quod ait Hermannus, oratorem verbis quae proxime sequantur antiquam legem pro captu auditorum circumscribere. Nam ista ut antiqua lex fuerit, quam nescio ubi interpres indagavit, non video, ut fatear, in ea obscuri quicquam aut, ut captus erat Atheniensium, tale quod explicationis indigeret, nedum ut integram aliis verbis exprimere orator necesse habuerit. Sed has argutias omnes evitamus, si scholiastam

---

*) Satis nota sunt *κηρύττει, σαλπίζει, ἀναγνώσεται* sine subiecto posita. Sed latius patere hoc dicendi genus quum iste docet locus, quem supra attuli, tum alius ipsius Midianae orationis, quem videor mihi eodem auxilio posse persanare. Leguntur §. 3. haec: *κατηγορήσων, ἐπειδή τις εἰσάγει, πάρειμι.* Mirum sane, perversum illud *τις* nulli cuiquam editorum scrupulum iniecisse. Solus quod sciam offendit Boeckhius *üb. d. Zeitverh. d. Rede g. Meid.* p. 73, sed nihil definivit, satis habens monere, in illo *τις* videri singulare quid latere; quanquam eo inclinat ut censeat, obscurum esse potuisse, quis magistratus hanc probolam in iudicium introducturus esset. At hoc credi nequit; nam sine dubio suus cuique crimini *εἰσαγωγεὺς* lege constitutus erat, ut de hoc Demosthenes dubitare nullo modo posset, praesertim quum ad eundem magistratum, qui nunc introducebat, actionem suam ante iam detulisset. Itaque censeo deleto *τις* scribendum esse *ἐπειδὴ εἰσάγει*, sc. is cuius erat hoc officium, *ὁ εἰσαγωγεύς*, qui et ipse coram aderat. Mirabundus librarius aliquis ad marginem *τίς;* adscripsit, quod deinde in ipsa oratoris verba illatum non potuit non in *τις* mutari. Neque offendit singularis numerus *εἰσάγει*, quamvis litem in iudicium adduxerint thesmothetae (cf. §. 32.); namque non totum simul collegium thesmothetarum, sed unum ex his tanquam prytanem sive epistatam in quaque caussa hoc negotium gessisse, haud vana, credo, est suspicio.

Digitized by Google

quam invenisset antiquam legem adscripsisse, eandem novam factam atque eisdem verbis, quae §. 9. leguntur, scriptam a scriba recitatam esse ponimus.

2) §. 10. Lex Dionysiaca altera de festorum sanctitate.

Εὐήγορος εἶπεν, ὅταν ἡ πομπὴ ᾖ τῷ Διονύσῳ ἐν Πειραιεῖ καὶ οἱ κωμῳδοὶ καὶ οἱ τραγῳδοί, καὶ ἡ ἐπὶ Ληναίῳ πομπὴ καὶ οἱ τραγῳδοὶ καὶ οἱ κωμῳδοί, καὶ τοῖς ἐν ἄστει Διονυσίοις ἡ πομπὴ καὶ οἱ παῖδες καὶ ὁ κῶμος καὶ οἱ κωμῳδοὶ καὶ οἱ τραγῳδοί, καὶ Θαργηλίων τῇ πομπῇ καὶ τῷ ἀγῶνι μὴ ἐξεῖναι μήτε ἐνεχυράσαι μήτε λαμβάνειν ἕτερον ἑτέρου, μηδὲ τῶν ὑπερημέρων, ἐν ταύταις ταῖς ἡμέραις. ἐὰν δέ τις τούτων τι παραβαίνῃ, ὑπόδικος ἔστω τῷ παθόντι, καὶ προβολαὶ αὐτοῦ ἔστωσαν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τῇ ἐν Διονύσου ὡς ἀδικοῦντος, καθὰ περὶ τῶν ἄλλων τῶν ἀδικούντων γέγραπται.

Hanc legem genuinam esse nego. Nolo urgere praescriptionem *Εὐήγορος εἶπεν*, quae quamvis legi parum conveniat, aliquam tamen auctoritatis speciem affectat (cf. or. XXIV. §. 39. 42. 63. 71.); ut legis rogationem dicat aliquis scholiastam pro ipsa lege habuisse. Sed alia insunt quae multum movent dubitationis. Ac primum offendunt ambitiosae illae in enumerandis singulis cuiusque festi partibus ambages: quarum quum nulla prorsus sit necessitas, haud scio an sola eae nitantur fucosa eruditionis ostentatione. Nam ut hoc utar, Lenaeis quoque tempore, quo non ipsa pompa duceretur vel ludi fierent, num credis manum debitori quenquam iniicere potuisse? Immo apparet legislatorem festorum illorum tempus totum atque integrum sacrosanctam esse voluisse: ut non esset cur partes eorum quasdam nominaret, quum nulla esset quam non intelligi vellet. Velut Croniis lex erat, *μήτ' ἰδίᾳ μήτε κοινῇ μηδὲν ἀλλήλους ἀδικεῖν ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ* (Dem. or. XXIV. §. 29) *). Deinde quam Demosthenes recitari iubet, nisi vehementer fallor, Dionysiaca lex est, priori de probolis Dionysiacis continua (*ὁ ἑξῆς νόμος*), neque aliam significare potest infra §. 175. verbis *ὅδε ὁ περὶ τῶν Διονυσίων*. At si sola Dionysia spectabat lex, qui tandem fit ut immisceatur festum minime Dionysiacum,

*) Quem locum ad Panathenaea non debebat referre I. H. Krausius *Olympia* p. 42, 18. cf. eiusd. orat. §. 26. Saturnalia ipsa autem quodam modo cum Magnis Liberalibus cohaerere ex eo colligas, quod d. 15. m. Elaphebolionis Saturno libum offerebatur. Vid. Corp. Inscr. Gr. I. no. 523.

Digitized by Google

sed Apollinis et Dianae, Thargelia? Et haec quum Thargelione, mense undecimo, celebrarentur, quid est quod probolae eorum quoque caussa instituendae deferri iubentur in concione continuo post Magna Liberalia in theatro habenda (*ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τῇ ἐν Διονύσου*, cf. §. 8.), h. e. exeunte mense nono, itaque anno proximo, decimo demum post commissum ipsum crimen mense? Quam difficultatem video quidem emendando superari posse. Scilicet quum mirum esse videatur, in Dionysiis non numerari Anthesteria, festum item Dionysiacum, veniat alicui in mentem *Ἀνθεστηρίων* scribere pro *Θαργηλίων*, quae sane non nimium audax esset correctio, quoniam in libris plurimis (*ΣFΠΤΩrstu* Bekkeri) non *καὶ Θαργηλίων*, sed *καὶ ὁ Θαργηλιὼν* legitur. Percommode etiam in Anthesteria quadraret quod adiicitur *τῷ ἀγῶνι*: scimus enim hoc festo non ludos, sed certationes poetarum esse habitas. Testes sunt Philochorus ap. Schol. Arist. Ran. 218, Plut. vit. dec. orr. p. 841 E. cf. Boeckhius *üb. die Lenäen, Anthesterien u. Dionysien* in Comm. acad. Berol. 1816. p. 98 sqq. Sed minime omnes hac ratione scrupuli eximuntur. Restat hic unus certe, quod, quum sine dubio festa Dionysiaca non ex alio quam quo celebrabantur ordine in lege quoque collocandae essent, Anthesteria sub finem demum adiecta verum ordinem turbarent, quem scimus hunc fuisse: Parva Liberalia (mense sexto, Posideone), Lenaea (m. septimo, Gamelione), Anthesteria (m. octavo, Anthesterione), Magna Liberalia (m. nono, Elaphebolione). Itaque habeat sibi Thargelia sua sciolus iste. Verum accedit ad fraudem detegendam aliud haud minus idoneum instrumentum, Piraeensia Dionysia dico, quae bona fide docti homines hinc ab impostore ingeri sibi passi sunt. Sed haec a parvis sive ruralibus Dionysiis non diversa esse iam Spaldingius intellexit. Scilicet illa non uno loco, sed ubique locorum per totam Atticam quotannis celebrata esse inter omnes constat. Hinc Dionysia habemus Phlyae (Isae. or. VIII. §. 15.), Collyti (Aesch. I, 157. Dem. XVIII, 180.), Salamine (Corp. Inscr. Gr. I. no. 108.) celebrata: Thorici quoque celebrari esse solita testantur reliquiae theatri descriptae a Leakio *die Demen von Attika* p. 58. ed. nostr., in Piraeeo denique praeter theatrum inscriptio C. I. no. 101. (cf. 102.) et Aelian. var. hist. II, 13. Cf. Boeckhii comm. p. 75 sq. Sed hinc non effici Phlyensia, Collytensia, Salaminia, Thoricensia, Piraeensia Dionysia, quae cum Lenaeis, Anthesteriis, Urbanis componi possint, sponte

intelligitur: his enim non respondent nisi uno nomine Ruralium comprehensa. Non movet me, quod Boeckhius l. l. p. 75 et 83 ex nostro demum loco et ex inscriptionis alicuius mutilae (C. I. no. 157) haud prorsus certo supplemento colligit, hac in lege pompam Baccho in Piraeeo ducendam appellari, quod tunc ipsius reipublicae quaedam in ea instruenda partes fuerint. Quod utut erat, in lege non urbis Athenarum solum incolis et Piraeensibus, sed toti civium Atticorum universitati scripta non poterat constitui nisi quod commune esset omnibus. An censes, debitorem pignoribus cogere Athenis atque in Piraeeo Ruralibus Dionysiis per leges prohibitum, eodem festo Phlyae, Collyti, reliquis omnibus pagis Atticae licitum fuisse? Itaque non dubito quin hoc quoque homini mediocriter docto debeatur. Nam quem modo in fraude sive errore manifesto deprehendimus, ubi Thargelia confudit cum Dionysiis, haud vana est suspicio, eundem hic quoque Piraeensibus Dionysiis suis fucum legentibus fecisse, dum Ruralium immemor ex sollemni urbis et Piraeei oppositione Urbanorum caussa Piraeensia suo Marte derivaret. Ceterum omnino Dionysiaca lex tota vel, hoc si mavis, singulae eius constitutiones sive capita postero tempore parum videntur cognita fuisse; nam quae ex eadem lege affert Aesch. or. III. §. 35 sqq. abunde satis probant, ementitam esse legis particulam quae legitur apud Dem. or. XVIII, 120. cf. Droysen in diar. antiq. stud. 1839. no. 72.

3) §. 47. Lex de iniuriis.

Ἐάν τις ὑβρίζῃ εἴς τινα ἢ παῖδα ἢ γυναῖκα ἢ ἄνδρα, τῶν ἐλευθέρων ἢ τῶν δούλων, ἢ παράνομόν τι ποιήσῃ εἰς τούτων τινά, γραφέσθω πρὸς τοὺς θεσμοθέτας ὁ βουλόμενος Ἀθηναίων οἷς ἔξεστιν, οἱ δὲ θεσμοθέται εἰσαγόντων εἰς τὴν ἡλιαίαν τριάκοντα ἡμερῶν ἀφ᾿ ἧς ἂν [ῇ] ἡ γραφή, ἐὰν μή τι δημόσιον κωλύῃ, εἰ δὲ μή, ὅταν ᾖ πρῶτον οἷόν τε. ὅτου δ᾿ ἂν καταγνῶτε, ἡ ἡλιαία τιμάτω περὶ αὐτοῦ παραχρῆμα, ὅτου ἂν δοκῇ ἄξιος εἶναι παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι. ὅσοι δ᾿ ἂν γράφωνται γραφὰς ἰδίας κατὰ τὸν νόμον, ἐάν τις μὴ ἐπεξέλθῃ ἢ ἐπεξιὼν μὴ μεταλάβῃ τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων, ἀποτισάτω χιλίας δραχμὰς τῷ δημοσίῳ. ἐὰν δὲ ἀργυρίου τιμηθῇ τῆς ὕβρεως, δεδέσθω, ἐὰν ἐλεύθερον ὑβρίσῃ, μέχρις ἂν ἐκτίσῃ.

In diversas partes discesserunt, qui novissime de hac lege disputaverunt, M. H. E. Meierus *Att. Process* p. 321 sq. et H. Schellingius *d. Solonis legg.*

p. 80 sqq. Exordienda est quaestio ab ea lege, quam ut *τὸν τῆς ὕβρεως νόμον* item profert Aeschines sive potius qui litis instrumenta adscripsit illius orat. I. §. 16. hoc modo: *ἄν τις Ἀθηναίων ἐλεύθερον παῖδα ὑβρίσῃ, γραφέσθω ὁ κύριος τοῦ παιδὸς πρὸς τοὺς θεσμοθέτας, τίμημα ἐπιγραψάμενος. ᾧ ἂν τὸ δικαστήριον καταψηφισθῇ, παραδοθεὶς τοῖς ἕνδεκα τεθνάτω αὐθημερόν. ἐὰν δὲ εἰς ἀργύριον καταψηφισθῇ, ἀποτισάτω ἐν ἕνδεκα ἡμέραις μετὰ τὴν δίκην, ἐὰν μὴ παραχρῆμα δύνηται ἀποτίνειν· ἕως δὲ τοῦ ἀποτῖσαι εἰρχθήτω. ἔνοχοι δὲ ἔστωσαν ταῖσδε ταῖς αἰτίαις καὶ οἱ εἰς τὰ οἰκετικὰ σώματα ἐξαμαρτάνοντες.* Haec quamvis cum nostrae legis verbis prorsus discrepent, ad eandem tamen utrumque oratorem respicere manifestum est. Aeschines enim postquam inter leges ad puerorum pudicitiam atque castitatem tuendam latas numeravit eas, quibus in paedicones et lenones vindicaretur, ita pergit §. 15: *καὶ ποῖον ἄλλον (νόμον ἔθηκε φύλακα τῶν ὑμετέρων παίδων); τὸν τῆς ὕβρεως, ὃς ἑνὶ κεφαλαίῳ ἅπαντα τὰ τοιαῦτα συλλαβὼν ἔχει· ἐν ᾧ διαρρήδην γέγραπται, ἐάν τις ὑβρίζῃ εἰς παῖδα ἢ ἄνδρα ἢ γυναῖκα ἢ τῶν ἐλευθέρων τινὰ ἢ τῶν δούλων, ἢ ἐὰν παράνομόν τι ποιῇ εἰς τούτων τινά, γραφὰς ὕβρεως εἶναι πεποίηκεν καὶ τίμημα ἐπέθηκεν, ὅ τι χρὴ παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι. λέγε τὸν νόμον.* Sequitur lex. At nec congruit haec cum eis, quae hinc ipsis verbis orator modo protulit, nec de iniuriis in universum agit, sed de iniuria tantum modo impuberibus illata. Quam discordiam Meierus componendam censuit hoc modo: *ὕβρεως* Attico iure duo fuisse genera, unum *διὰ πληγῶν*, alterum *δι' αἰσχρουργίας*, prouti alicui iniuria aut verberibus aut stupro inferretur; iam servis non *διὰ πληγῶν*, sed solum modo *δι' αἰσχρουργίας* iniuriam inferri potuisse; atqui utroque loco de iniuria servis quoque illata sermonem esse; ergo non diversas esse leges, sed unam atque eandem a Demosthene et Aeschine significari, legem autem de iniuria *δι' αἰσχρουργίας* Demosthenem caussidicorum more sic tractare, quasi agat de iniuria verberibus illata; denique mutilam esse legem Aeschineam et nil nisi legis epitomen, integram vero legem sic reficiendam: *ἐάν τις ὑβρίσῃ τινὰ ἢ παῖδα ἢ γυναῖκα ἢ ἄνδρα, ἢ τῶν ἐλευθέρων ἢ τῶν δούλων, ἢ παράνομόν τι ποιήσῃ εἰς τούτων τινά, γραφέσθω πρὸς τοὺς θεσμοθέτας ὁ κύριος τοῦ παιδὸς ἢ ἄλλος ὁ βουλόμενος Ἀθηναίων οἷς ἔξεστιν, τίμημα ἐπιγραψάμενος, ὅτου ἂν δοκῇ ἄξιος εἶναι παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι. οἱ δὲ θεσμοθέται εἰσαγόντων εἰς τὴν ἡλιαίαν τριάκοντα* ·

Digitized by Google

ἡμερῶν, ἀφ᾽ ἧς ἂν ἡ γραφή, ἐὰν μή τι δημόσιον κωλύῃ· εἰ δὲ μή, ὅταν ᾖ πρῶτον οἷόν τε. ὅτου δ᾽ ἂν καταγνωσθῇ, ἡ ἡλιαία τιμάτω περὶ αὐτοῦ παραχρῆμα, ὅτου ἂν δόξῃ ἄξιος εἶναι παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι. καὶ ἐὰν μὲν θανάτου καταψηφισθῇ, παραδοθεὶς τοῖς ἕνδεκα τεθνάτω αὐθημερόν. ἐὰν δὲ ἀργυρίου τιμηθῇ τῆς ὕβρεως, ἀποτισάτω ἐν ἕνδεκα ἡμέραις μετὰ τὴν δίκην, ἐὰν μὴ παραχρῆμα δύνηται ἀποτίνειν. ἐὰν δὲ ἐλεύθερον ὑβρίσῃ, δεδέσθω, μέχρις ἂν ἐκτίσῃ. ὅσοι δ᾽ ἂν γράφωνται γραφὰς ἰδίας κατὰ τὸν νόμον, ἐάν τις μὴ ἐπεξέλθῃ ἢ ἐπεξιὼν μὴ μεταλάβῃ τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων, ἀποτισάτω χιλίας δραχμὰς τῷ δημοσίῳ. At ut mittam, quod parum credibile est tam temere legis membra ac vehementer discerpi potuisse, duo in his maxime sunt, quae praeter veritatem esse posita videntur. Ac primum quod non recte Meierus ponit, ὕβρεως actione peti non potuisse, qui servo verbera intulisset, verbo indicásse satis habeo, utpote confutatum iam a Gui. A. Beckero, *Charikles* II. p. 44 sq. et Schellingio l. l. p. 84 sq. Sed nec verum puto alterum, quod idem praecipit de diversis iniuriae generibus. Nititur hoc totum solo quod sciam testimonio alterius orat. in Mid. argumenti, ubi p. 513. haec leguntur: λέγεται γὰρ ὕβρις ἡ δι᾽ αἰσχρουργίας καὶ ἡ διὰ λόγων καὶ ἡ διὰ πληγῶν. Quae distinctio iam eo non modo suspecta fit, verum etiam prorsus concidit, quod ipso Meiero indice p. 321. ὕβρις διὰ λόγων nulla unquam fuit et res plane inaudita est in iure Attico. Sed neque ferri possunt quae restant duo genera ὕβρεως, δι᾽ αἰσχρουργίας et διὰ πληγῶν: nam praeter stuprum atque verbera aliae multae et erant et cogitari possunt iniuriae, quae sine dubio in eodem delictorum numero habebantur, velut si quis fimo aliquem perfunderet sive limo oblineret, quod facinus nescio quo iure Meierus p. 324. ad ὕβριν διὰ πληγῶν, Schellingius p. 84. ad ὕβριν δι᾽ αἰσχρουργίας referendum esse censuerunt. Quae quum ita sint, non dubito quin distinctio ista, ut alia multa, a grammaticis demum ficta sit. Tot erant ὕβρεως genera, ut omnia distinguere neque facile esset neque rei conduceret, nisi simul sua in unum quodque poena constitueretur. Quod quum factum non sit, apparet, quod ad ipsum factum certe attinet, unam tantum ὕβριν fuisse Atticis. Nec poterat hoc legislator clarius atque distinctius significare, quam quae ex ipsa lege Aeschines profert verbis his: ἐάν τις ὑβρίζῃ — ἢ ἐὰν παράνομόν τι ποιῇ εἰς τούτων τινά, γραφὰς ὕβρεως εἶναι, quibus verbis tota ὕβρεως notio prorsus exhausta

Digitized by Google

est, nec quicquam restat quod praeter genus tanquam species cogitari possit. Hinc unam tantum de iniuria legem oratores norunt, τὸν τῆς ὕβρεως νόμον, velut Demosth. or. XXI. §. 35. 46, Aesch. or. I. §. 15. 17. Quem autem opponunt locum Dem. or. LIV. §. 24, λαβὲ δή μοι καὶ τοὺς νόμους τοὺς τῆς ὕβρεως καὶ τὸν περὶ τῶν λωποδυτῶν, non video quid hoc solo efficiant: praeter enim quam quod is ne tutus quidem ab omni parte est (alterum enim τοὺς non legitur in libris ΣF, omiserunt Turicenses, possit etiam in τὸν mutari), praeterea pluralis numerus accipi potest non de diversis legibus, sed de diversis eiusdem legis constitutionibus sive particulis, quemadmodum Dionysiacam quoque legem in plures partes sive leges distingui supra vidimus. Eandem hanc rationem Meiero sane consideratius tentavit Schellingius p. 83, quo Aeschineam de iniuria legem cum Demosthenica copularet. Scilicet lege apud Demosthenem iniurias et pueris et adultis illatas contineri, in eaque unicuique Atheniensium actionem ὕβρεως datam esse; quum autem puerilem aetatem maxime vidisset Solon iniuriis obnoxiam et ad eas propulsandas infirmissimam, peculiari lege τῷ κυρίῳ pueri, cui iniuria illata esset, non permisisse, sed imperasse, ut rem ad iudices referret; non quasi de pueris minus ac de ceteris in generali lege provisum esset, sed quia puerorum in gratiam generalem supplere atque augere voluisset: constitutionem igitur hanc, quoad speciatim ad pueros pertineret, nonnisi pro additamento ad legem generalem habendam esse; quam ob caussam Aeschinem primum de generali lege loqui (ἐάν τις ὑβρίζῃ — γυναῖκα etc.), scribam autem nonnisi id, quod de pueris separatim legislator instituisset, recitare. Quae licet per se quidem minime incredibilia sint, non credam tamen vera esse et necessaria, quoniam ea sola nituntur opinione, utroque loco vera atque integra legis verba superesse. At hoc ipsum ante demonstrandum erat. Iam vero ubi demonstratum fuerit, has quoque leges a grammaticis demum compositas et ad hanc formam fictas et conflatas esse, fieri non poterit quin ista omnia concidant. Itaque iam de singulis videndum.

Ac prima quidem verba, ἐάν τις ὑβρίζῃ εἴς τινα ἢ παῖδα ἢ γυναῖκα ἢ ἄνδρα, τῶν ἐλευθέρων ἢ τῶν δούλων, ἢ παράνομόν τι ποιήσῃ (ποιῇ) εἰς τούτων τινά, vera sunt; eadem enim indidem laudat Aeschines, cui sua debere nostrae legis auctorem admodum probabile est. Item iniuriarum actionem deferendam fuisse ad

Digitized by Google

thesmothetas res nota erat ex Dem. or. XXXVII. §. 33. et XLV. §. 4, eamque a quovis cive, qui quidem integro esset iure civitatis, institui potuisse ex or. XXI, 45. et Isocr. XX, 2. At omnem fidem excedunt quae sequuntur, οἱ δὲ θεσμοθέται εἰσαγόντων εἰς τὴν ἡλιαίαν τριάκοντα ἡμερῶν ἀφ' ἧς ἂν [ᾖ] ἡ γραφή, ἐὰν μή τι δημόσιον κωλύῃ, εἰ δὲ μή, ὅταν ᾖ πρῶτον οἷόν τε. Nihil enim quicquam erat in tantae gravitatis actione eaque publica, quod talem sententiae ferendae accelerationem aut flagitaret aut permitteret, ipsamque deprimeret in numerum caussarum minutarum, quae queniam intra triginta dies transigendae erant, ἔμμηνοι δίκαι dicebantur. Neque ὕβρεως γραφὴν eodem pertinere praeter auctorem legis alius quisquam testis est. Sed placuisse impostori istam, veram ceteroqui, iudicii formulam testatur lex si diis placet Timocratea, quae exstat or. XXIV, 63 (εἰσάγειν τοὺς ἕνδεκα εἰς τὸ δικαστήριον τριάκονθ' ἡμερῶν ἀφ' ἧς ἂν παραλάβωσιν, ἐὰν μή τι δημοσίᾳ κωλύῃ, ἐὰν δὲ μή, ὅταν πρῶτον οἷόν τ' ᾖ). Iam pergit nostra: ὅτου δ' ἂν καταγνῶτε, ἡ ἡλιαία τιμάτω περὶ αὐτοῦ παραχρῆμα, ὅτου ἂν δοκῇ ἄξιος εἶναι παθεῖν ἢ ἀποτῖσαι. In his καταγνῶτε, quod legitur in libris omnibus, quoniam absurdius est quam quod vel semidocto grammatico tribui possit, malim cum Wolfio et Voemelio in καταγνωσθῇ mutare propter consensum locorum or. XXIV, 63. et XLIII, 71, quam in καταγνῷ cum Lambino, quem sequuti sunt Bekkerus atque Turicenses, sive in καταγνῷ τι cum Tayloro et Buttmanno distinctione post ἡλιαία posita. Praeterea illud παραχρῆμα quoque offensioni est: quasi iudices damnato reo in caussis, ubi poena non lege definita, sed ipsis aestimanda erat, non semper illico ac statim altera quoque poenae aestimandae caussa suffragia tulissent. Deinde vero quae sequuntur, ὅσοι δ' ἂν γράφωνται γραφὰς ἰδίας κατὰ τὸν νόμον, ἐάν τις μὴ ἐπεξέλθῃ ἢ ἐπεξιὼν μὴ μεταλάβῃ τὸ πέμπτον μέρος τῶν ψήφων, ἀποτισάτω χιλίας δραχμὰς τῷ δημοσίῳ, vel me non monente apparet ab hoc loco prorsus aliena esse. Non quo vera esse negem (nam sexcenties hoc vel simile praescriptum apud oratores legitur): sed num credamus generale hoc praescriptum in una quaque eiusdem generis lege speciatim esse repetitum? Et ut hoc ferri possit, quis ista toleret ad accusatorem spectantia inter ea ipsa media, quae ad reum spectant, interiecta? Praetereaque admodum suspecta sunt etiam haec, ὅσοι δ' ἂν γράφωνται γραφὰς ἰδίας κατὰ τὸν νόμον. Nescio quam legem dicat,

Digitized by Google

ac sponte apparet non posse quenquam nisi lege reum fieri. At γραφὰς ἰδίας ut ex iure Attico dici posse concedam (quanquam, ut fatear, in re tantopere ab oratoribus frequentata mirum est hanc formulam nostro solo quod sciam loco inveniri), non intelligo tamen, hic qui locus eis esse possit. Satis erat nominare γραφὰς ὕβρεως: nam de his solis agit lex. Iam quum ἰδίας nominet, aliud genus actionum cogitatione opponitur, δημοσίων. At non potest hoc, quoniam et iniuriarum actio non erat nisi ἰδία γραφή, et is quoque, qui quamlibet more publicam actionem instituit, eadem prorsus praescriptione tenebatur. Denique in extrema lege haec leguntur: ἐὰν δὲ ἀργυρίου τιμηθῇ τῆς ὕβρεως, δεδέσθω, ἐὰν ἐλεύθερον ὑβρίσῃ, μέχρις ἂν ἐκτίσῃ. Verba τῆς ὕβρεως ut extra constructionem posita cum Tayloro deleri voluerunt Turicenses, nec sane incredibile est, librarium ista ad oram exemplaris sui addidisse, ut lectorem admoneret, hoc ultimum comma non spectare ad actorem, sed rursus ad mulctam ὕβρεως reo irrogandam. Quanquam coniiciat aliquis, haec verba non protenus delenda, sed in τις ὑβρίσας mutanda esse. Quod utut est, id certe concedi nequit eidem Tayloro, proxime sequentia quoque verba ἐὰν ἐλεύθερον ὑβρίσῃ eiicienda esse. Haec enim explicandi caussa vix adscribi potuerunt; quanquam vel sic restat adhuc aliquid obscuritatis. Scilicet hoc, nisi fallor, auctor legis voluit, in eum, qui liberum hominem iniuria affecisset, mulcta irrogata aliquanto severius vindicandum esse quam in eum, qui servum modo violasset, vinculis nimirum donec solveret; ut ex silentio de altero colligi debeat, mulctam quidem ei solvendam, ipsum in vincula coniiciendum non fuisse. Quod quo iure sic fieri auctor voluerit nescio. Neque omittendum tamen est, non ab omni dubio tutam rem videri propterea, quod in libris longe plurimis (ΣFΠΓΤΩrstv Bekkeri, Bavarico Reiskii) non ἐὰν ἐλεύθερον ὑβρίσῃ, sed ἐὰν δὲ ἐλεύθερον ὑβρίσῃ legitur, quam scripturam veram existimavit R. Klotzius *adn. ad Devar.* II. p. 481 ita, ut post ὑβρίσῃ repetendam esse cogitatione δεδέσθω appareret. Quod ut per grammaticas rationes liceat, nova tamen sic ipsi rei difficultas oritur. Nam illum alterum, quem tum cogitatione opponere oportet ei, qui liberum iniuria affecit, eum igitur qui non libero iniuriam intulit, num praeter mulctam sic simpliciter nulloque supplicii tempore definito credamus in carcerem potuisse coniici? Non potuit, quoniam in eadem lege iudices iubentur aestimare, reus ὅτου ἂν δοκῇ ἄξιος εἶναι παθεῖν ἢ

ἀποτῖσαι, nec simplex omnino poena carceris erat Atticis, sed alius poenae accessio tantum (*προστίμησις*); qualem si legislator in mente habuisset, sine dubio etiam tempus ei ex more accurate praefinivisset. At ne alter quidem, qui liberum violavit, supplicii caussa, sed ut fiscalis debitor in vincula ducebatur.

Restat ut dicam de legis particula, quam aiunt, Aeschinea. Nolo nimium esse suspicax neque dubium movere de verbis *γραφέσθω ὁ κύριος τοῦ παιδός.* Nam quae habet Aeschines §. 18, *ἐνταῦθ' ὁ νομοθέτης οὔπω διαλέγεται αὐτῷ τῷ σώματι τοῦ παιδός, ἀλλὰ τοῖς περὶ τὸν παῖδα, πατρί, ἀδελφῷ, ἐπιτρόπῳ, διδασκάλοις καὶ ὅλως τοῖς κυρίοις,* ipsi tribui possunt verba legis interpretanti et rem oratorie amplificanti. At quae sequuntur, *ᾧ ἂν τὸ δικαστήριον καταψηφισθῇ,* tam corrupta sunt, ut restitui vix queant. Mortis poenae mentionem propter id quod sequitur, *ἐὰν δὲ εἰς ἀργύριον* (sic) *καταψηφισθῇ,* necessariam esse iam S. Petitus intellexit; reliquorum coniecturas vid. apud F. Frankium in ed. Timarcheae p. 19. Inauditum porro et prorsus singulare est, quod mox, cui mulcta dicta, eam solvere iubetur intra undecim dies, si non possit illico. Nam fiscalibus debitoribus reliquis omnibus concedebatur, ut intra nonam prytaniam certe inde ab eo die, quo aerarii debitores facti essent, debitum solverent, id quod ab Andoc. or. I. §. 73. affirmatum solius nostrae legis eiusque ficticiae caussa negare non debebat Meierus *d. bon. damn.* p. 138. Iam vide et admirare ingentem legis benignitatem atque liberalitatem, quae per totos decem dies debiti solutionem remittere non dubitavit. Nimirum undecimo fore ut solvendo esset, qui primo non fuisset, facile sperari potuit. Denique in clausula legis (*ἔνοχοι δὲ ἔστωσαν ταῖσδε ταῖς αἰτίαις καὶ οἱ εἰς τὰ οἰκετικὰ σώματα ἐξαμαρτάνοντες*) grammatici manum redolet *αἰτίαις,* docentque ipsius oratoris verba quae sequuntur §. 17, *ἴσως ἂν οὖν τις θαυμάσειεν ἐξαίφνης ἀκούσας, τί δή ποτ' ἐν τῷ νόμῳ τῷ τῆς ὕβρεως προσεγράφη τοῦτο τὸ ῥῆμα, τὸ τῶν δούλων,* aut haec verba scribam non recitavisse, aut, si genuina sunt, non eam solam certe quam esse volunt legis de iniuriis particulam.

4) §. 94. Lex de arbitris.

Ἐὰν δέ τινες περὶ συμβολαίων ἰδίων πρὸς ἀλλήλους ἀμφισβητῶσι καὶ βούλωνται διαιτητὴν ἑλέσθαι ὀντινοῦν, ἐξέστω αὐτοῖς αἱρεῖσθαι ὃν ἂν βούλωνται διαιτητήν. ἐπειδὰν δ' ἕλωνται κατὰ κοινόν, μενέτωσαν ἐν τοῖς ὑπὸ τούτου δια-

Digitized by Google

γνωσθεῖσι καὶ μηκέτι μεταφερέτωσαν ἀπὸ τούτου ἐφ' ἕτερον δικαστήριον ταὐτὰ ἐγκλήματα, ἀλλ' ἔστω τὰ κριθέντα ὑπὸ τοῦ διαιτητοῦ κύρια.

5) §. 113. **Lex de largitionibus.**

Ἐάν τις Ἀθηναίων λαμβάνῃ παρά τινος ἢ αὐτὸς διδῷ ἑτέρῳ ἢ διαφθείρῃ τινὰς ἐπαγγελλόμενος ἐπὶ βλάβῃ τοῦ δήμου καὶ ἰδίᾳ τινὸς τῶν πολιτῶν τρόπῳ ἢ μηχανῇ ἡτινοῦν, ἄτιμος ἔστω καὶ παῖδες καὶ τὰ ἐκείνου.

De utraque non magnopere pugnabo. Vera enim inesse minime nego, veras leges autem esse et ipsa verba, quae recitari iusserit Demosthenes, ad credendum facilius est quam ad demonstrandum. Utramque integram poscit orator, *τὸν τῶν διαιτητῶν νόμον* §. 93, *τὸν περὶ τῶν δώρων νόμον* §. 107. Sed neutram integram esse sponte intelligitur, ut rursus eo confugiendum sit, non leges totas, sed earum particulas tantum recitatas esse, eas nimirum quas ad rem vel maxime pertinere non solum ipse orator credidisset, verum etiam scivisset rhetor ille sive grammaticus, qui totum hoc genus probationum addidit. Ac prior quidem nihil continet, quod non aliunde disci etiamnum possit, et antiquitas eo magis potuerit, quo plura tunc et integriora supererant scripta oratorum. Sed non prorsus eam, ut aliis visum erat, ab hoc loco alienam esse demonstravit C. F. Hermannus in diss. praemissa indici lectt. Marburg. 1833—34 (repet. in Suppl. ad Iahnii Annal. philol. t. IV. p. 331 sqq.). Quanquam quo idem hic et iterum in diss. *de proedris* p. 4. inter alia usus est argumento, oratores Atticos leges etiam, quae ad caussam quae ageretur neutiquam spectarent, recitari iussisse, quo auditorum animos testimoniorum multitudine obruerent et imperito iudici fucum facerent, caute admodum et cum iudicio utendum est. Ad verba quod attinet, magis etiam suspecta fit lex de arbitris, si ducibus optimis et plurimis libris (*ΣFΠΤΥΩstv* Bekkeri, Bavarico Reiskii) cum Voemelio scribamus — *ὃν ἂν βούλωνται· διαιτητὴν ἑλέσθαι ἐπειδὰν βούλωνται* cett. Quae verborum eorundem in re tam simplici molesta sane repetitio non magis legum formulae convenit quam quod in eisdem verbis inest asyndeton et particula *ἐπειδὰν* tertio demum loco collocata. In lege de largitionibus, ut hoc unum addam, certe *ἢ ἰδίᾳ* pro *καὶ ἰδίᾳ*, quae Reiskii est correctio (*καὶ διὰ ΣFΠΤΥΩstv*) a codice Italico et aliis nonnullis, ut videtur, confirmata, res ipsa postulat.

Digitized by Google

Restat unum probationum genus, oracula dico Delphica atque Dodonaea, quae leguntur §. 52 sq., omnium fortasse difficillimum ad diiudicandum et quod ampliorem, quam nunc quidem instituere et licet et placet, indaginem exposcit. Sed ne prorsus caussam deseruisse videar, pauca expromam de oraculo Dodonaeo primo, quod si non fictum, certe ab hoc loco alienum esse docent verba Demosthenis §. 54, *τὰς μὲν ἄλλας θυσίας τοῖς ἐφ' ἑκάστης μαντείας προφαινομένοις θεοῖς προστάττουσι θύειν, ἱστάναι δὲ χόρους καὶ στεφανηφορεῖν κατὰ τὰ πάτρια πρὸς ἁπάσαις ταῖς ἀφικνουμέναις μαντείαις προσαναιροῦσιν ὑμῖν.* Namque praeter sacrificia in hoc oraculo ea ipsa desiderantur, quae unius cuiusque dicit esse propria. Legitur autem totum in libris hoc modo: *τῷ δήμῳ τῷ Ἀθηναίων ὁ τοῦ Διὸς σημαίνει· ὅτι τὰς ὥρας παρηνέγκατε τῆς θυσίας καὶ τῆς θεωρίας, αἱρετοὺς πέμπειν κελεύει θεωροὺς ἐννέα, καὶ τούτους (καὶ τούτου τοὺς ΣFΥtv) διὰ ταχέων τῷ Διὶ τῷ ναρω τρεῖς* (sic Bekkerus, fuerat *τῷ Δωδωναίῳ ἀροτρεῖς*: sed *τωναρωτρις Σ, τῶν ἀρω, τρὶς F, τῶ ναρω τρεῖς* corr. r, *τῶν αρω τρεῖς Υ, τῶν αρωτρεῖς Π* et litteris *ων* macula opertis appositoque in marg. *τομάρω Ω, τῶν ἀροτρεῖς εtv*) *βοῦς καὶ πρὸς ἑκάστῳ δύο βοήσεις (βοιήσεις FΠΥΩs* et corr. *Σ), τῇ δὲ Διώνῃ βοῦν καὶ ἄλλα ἱερεῖα καὶ τράπεζαν χαλκῆν, καὶ πρὸς τὸ ἀνάθημα ὃ ἀνέθηκεν ὁ δῆμος ὁ Ἀθηναίων.* In his Buttmannus loco sane desperato *πέμπειν—βοήσεις* nimis vehementem medicinam adhibuit sic corrigens, *πέμπειν κελεύει θεωροὺς ἕνεκα τούτου, τοὺς δὲ ἀπάγειν τῷ Διὶ τῷ Ναΐῳ* (vel cum Spaldingio *Διὶ τῷ ἐν Τομάρῳ*) *τρεῖς βοῦς καὶ πρὸς ἑκάστῳ δύο ὗς* (quod ultimum iam viderat Taylorus). Quae correctio eo maxime nititur, quod opus esse videbatur infinitivo, quo significaretur id quod iuberentur facere legati. Sed habemus cuius indigemus infinitivum, si ex egregia H. Sauppii coniectura inepta verba *καὶ ἄλλα ἱερεῖα*, Voemelio quoque suspecta, in *καλλιερεῖν* mutamus; quanquam mirabile sic efficitur zeugma, *βοῦς — καλλιερεῖν καὶ τράπεζαν χαλκῆν*, nisi hoc vis pendere a voc. *πέμπειν* aut infinitivum alium latere in part. *καὶ* post *χαλκῆν* posita, quam cum Reiskio eiecerunt Turicenses. At magna est de Iovis isto cognomine contentio: *Διὶ τῷ Δωδωναίῳ*, ut correxit nescio quis, nimis recedit a librorum scriptura, quam ut verum esse possit, *Διὶ τῷ ἐν Τομάρῳ* cum Spaldingio dederunt Turicenses, *Διὶ Τομάρῳ* ad id quod in libris est accommodatius sane Voemelius. Sed ut paucis dicam, verissimam esse censeo

Digitized by Google

Buttmanni emendationem *Διὶ τῷ Ναΐῳ*, quae et ipsa proxime abest a ductibus litterarum *διὶ τω ναρω*. Locis a Buttmanno in auxilium vocatis (Steph. Byz. s. v. *Δωδώνη· τὸν δὲ Δωδωναῖον [θεὸν] ἔλεγον καὶ Ναῖον*, Schol. Hom. Iliad. *π*, 233, *ὁ δὲ Δωδωναῖος καὶ Νάϊος· ὑδρηλὰ γὰρ τὰ ἐκεῖ χωρία)* addam tertium, qui rem conficit, Anecd. gr. Bekkeri p. 283, 22. *Νάϊος Ζεύς, ὄνομα ἱεροῦ τοῦ ἐν Δωδώνῃ· Πέριρος γάρ, ὁ Ἰκάστου παῖς τοῦ Αἰόλου, ναυαγήσας διεσώθη ἐπὶ τῆς πρύμνης καὶ ἱδρύσατο ἐν Δωδώνῃ Διὸς Ναΐου ἱερόν.* Corrupta esse verba et scribendum *Περιήρης γὰρ ὁ Ἰκαρίου*, quanquam vel sic inverso vero ordine, vidit E. de Lasaulx, ***das pelasgische Orakel des Zeus zu Dodona*** (1840), p. 6, 49. De qua fabula utut statuendum erit, magni est in nostra re momenti, quod eius rei mentio fit in lexico rhetorico ad ipsos oratores Atticos maxime explicandos composito, cuiusque auctorem Midianam quoque orationem ante oculos habuisse (velut p. 219, 22. 235, 6. 9. 238, 31. 245, 20. 255, 8. 265, 22. 268, 6. 27. 278, 8. 29. 279, 20. 288, 18. 292, 10. 12.) vix est quod dubitemus; ut illa de Iove Naio glossa nostri loci caussa facta esse atque auctor *Διὶ τῷ Ναΐῳ* ibi scriptum invenisse videatur.

Digitized by Google

BIBLIOTHECA BODLEIANA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google